

www.e-rara.ch

Ioan. Iacobi Boissarti Vesuntini Poemata

Boissard, Jean Jacques

Basileae, 1574

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-643>

Io. Iac. Boissarti Bisuntini elegiarum liber II.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Interea crescas, Crotosii, anniq; animisq;
 Sitq; per immensos vita beata dies.
 Nosq; tui Vates tua facta feremus ad astra:
 Per nos Arctois conspiciere polis.
 Tuq; iterumq; iterumq; tuis bona vina poetis
 Funde, & ab illyrico dulcia musta cado.

IO. IAC. BOIS,
 SARTI BISVNTINI
 ELEGIARVM
 LIBER II.

AD PAVLVM MELIS-
 sum Schedium Poetam Lau-
 reatum.

De Iana Thamasia.

ELEGIA. I.



Vdio, Iana, tibi cum mors vicina fe-
 retrum
 Sterneret, undanti te lacrymasse
 toro.

Crebrius & nostrum nomen clamasse,
 Ut mea delictis parceret ira tuis. (rogando)
 Et nimium facti te penituisse prioris,
 Et quod me verbis laferis immeritis.

IO. IAC. BOISSARTI

Teq; iterasse ferunt: Longe u. e tarda senectae
 Tempora contracta sub Stygia labe feram?
 Non impetrata rursum mihi pace licebit
 Offensum toties conciliare caput?
 Errabunda ferar tenebris, & valle silentum
 Clausa, adigat tetri per loca plena metus?
 Ah liceat semel ora viri mihi cernere, & istas
 Per lacrymas odium dissoluisse viri.
 Talia per gemitus, & per suspiria ferris
 Inconsolatos sustinuisse dies.
 Et nisi germanae monitis lenita fuisses,
 Umbra tua ag gestam fessa subisset humum.
 Cuius fama meas postquam peruenit ad aures,
 Iana, mihi riguae commaduere genae.
 Cur opus has, quae so, fuerat fuisse querelas?
 Atq; animum curis implicuisse nouis?
 Non ego sum toruae soboles truculenta leanae,
 Non sum de Libycis saeva propago feris.
 Nec mihi de dura surgunt praecordia caute,
 Nec mea liuescens occupat ossa chalybs.
 Humani sensus mihi sunt: offendor & ipse:
 Mota suum retinet sed tamen ira modum.
 Durius accepi quae matri opprobria quondam
 Fecisti: afflicta parcere debueras.
 Vade parens vani, dixisti, stulta poetae:
 Ad nullas crescat cum tibi natus opes.
 Ignauum patriae nutristi sedula fucum,
 Qui tantum nugis occupat ora meris.
 Hunc decuit superis incendere tura, suoq;
 Pro populo sancta soluere labra prece.

Vel dare consilium oppressis, medioq; Senatu
 Dicere quod dubius ciuibus esset opus.
 Nunc tantum Musas, & inania numina cantat;
 Nec sibi, nec nobis utilis esse potest.
 Indolui, fateor, mihi cum tua verba referret,
 Affirmans domui dedecus esse sua.
 Et fratri, mæstusq; sororibus esse pudori,
 Mæq; sibi extremos accelerare dies.
 Attamen hæc bilis cum tempore mota refedit:
 Non est, heu, nostri pectoris ira tenax.
 Illud ut exciderat factum, sic tu quoq; pridem
 Debueras dicti non meminisse tui.
 Offensum doluisti, & te doluisse dolbo:
 Et finem vitæ, lana, grauasse tuæ.
 Non tamen idcirco cognata nomina gentis
 Absq; piis lacrymis intumulata sinam.
 Sed tibi componam inferias, & carmina pandam,
 Pauca, quidem, sed quæ posteritatis erunt.
 Nec tu plebeio sub marmore clausa iacebis:
 Sed tibi curabit grande toreuma faber.
 Aureaq; adiiciet sculpta monumenta figura,
 Quæq; legat circum verba viator erunt.
 Hic sita (ni numero ter binos Parca tulisset)
 Penè annos centum quæ tetigisset anus:
 Lana domum, prolemq; piam, paruosq; nepotes
 Nacta & montano rura colenda boue.
 Officio venerata virum, castosq; Hymenæos,
 Componens habili pensa operosa colo.
 Quæ tandem plenis postquam defloruit annis,
 Ad patrû ripas est tumulata Dubis.

IO. IAC. BOISSARTI
In obitum Theobaldi Boissarti pa-
tris sui.

ELEGIA II.

O Mors, ô cari nimium properata parentis
Stamina: fatalis proh mala fila coli.
Quid iuuat obscuris oculos clausisse sub vmbriis?
Quid iuuat innocui membra tulisse senis?
Vt viduo mater fundat suspiria lecto,
Vt desolatos horreat vsq; toros.
Natarum vt semper numero stipata suorum,
Ploret ad amissi surda sepulchra viri.
Et laniet crines, largoq; madentia luctu
Pallia, & iniusta pectora tusa manu.
En gemitus quantos crebris vlulâtib; vrgent
Feminei flentes pulla feretra chori.
En quantum reboat percusso comminus arcu
Sacra domus, planctus commiserata graues.
Vt refugit tellus, nec condita comprimit ossa,
Vt tumulis tegitur terra coacta nouis.
Summa sed aetherei consurgunt nubila cœli
Et præbet placidum stella comata iubar.
Felix ipse animi manes cui nosse paternos
Contigit: ô clara luce recepte pater.
Quanta tuæ mortis nobis solatia restant,
O iterum felix terq; quaterq; parens.
Parce, precor, pietas: vxori parcite castæ
Numina, quòd lacrymis irriget ora nouis.
Non luget sortem defuncti mæsta mariti,
Quem cuperet iuncta nunc quoq; morte sequi.

Sed

Sed dolet orbatos sancto rectore penates:
 Et casu vnus penè ruisse domum.
 Desine voce tua, genitrix, offendere coelum:
 Sic Parcis placuit, sic voluere Dei.
 Crescat in afflictis æquum est patientia rebus:
 In tali est certus nam pietate modus.
 Et tu dum lugens aeterna sede receptum,
 Non obscure eius commoitate doles.

De eodem.

E L E G I A - I I I.

ANxia miscebant longo protracta duello
 Prælia discordes vitæq; moriq; simul.
 Boissarti fatum miserata est vita, quod illi
 Mixta foret variis lenta senecta malis.
 Aeternas petit illa domos, trinasq; sorores,
 Illis ut rumpant stamina fera, rogat.
 Annuit oranti Lachesis, & forfice crudo
 Extremum vitæ prompta mouebat opus.
 Sed mors funestas falces, & tela recusat,
 Excusans iusti tempora fausta senis.
 Vita negat faustum posse aut debere vocari,
 Quod morbi assiduo dextra dolore terat.
 Ast vxor, natiq; senis, paruiq; nepotes,
 Mors ait, horre cent facta manuq; truces.
 Immeritumq; patrem dicent: quem talibus ausis
 Subripiam: populo cretor iniqua nimis.
 Vita refert diuersa: meo potiatur honore, &
 Elysia viuens excipiat aqua.

IO. IAC. BOISSARTI

Vernantesq; colat campos, & florida rura,
 Regnaq; depulsis intemerata malis.
 Quæ nec amara fames, nec anhela pericula terrêt,
 Nec mortis norunt fata secunda nouæ.
 Nullaq; nox, nullis sunt tempora ducta tenebris,
 Sed semper lucens & sine fine dies.
 Sunt vbi felices animæ, quibus aurea quondam
 Gaudia cœlicolæ constituere Dei.
 Sume tuas igitur falces, stratumq; cubili
 Tollere cognata ne vereare manu.
 Ecce domum ratio solabitur vna relictam,
 Restituas vita quòd meliore senem.

Somnium de matre Guaisdouñ nobilis Po-
 loni qui in Cypro fortiter pu-
 gnans occubuit.

ELEGIA IIII.

NOcte ferè media cùm sidera verteret axis,
 Et Dithynna vagos pura moueret equos:
 Vdaq; per mollem narent mihi lumina somnum,
 Contegeretq; breuis membra soluta torus.
 Visa mihi vidua mœrens venientis imago,
 Cui pullo fluitans firmate vestis erat.
 Tempora ferali velabat tecta cupressu,
 Diuiduiq; dabat colla tegenda comis.
 Vt fixit primo vestigia limine, cœpit
 Rumpere inundantes vngue furente genas.
 Et natum ante diem letho plorare sepultum,

Qui

Qui miserae matri filius vnus erat.
 Aerumnosa parens, interq; miserrima cunctas,
 Hei mihi quis vitam procoget vltimus?
 Cur post defunctum dicar seruata maritum?
 Nec cum felicisim tumulata sene?
 Qui longam exegit turpi sine crimine vitam,
 Cui fuit & soboles, cui fuit vxor amans.
 A quibus extrema sero sub fine senectae
 In prius electis conditus est tumulis.
 Nunc ego cur viuo? nimirum vt coniuge caro
 Orba, legam fctus ossa perusta mei.
 Illaq; funesta videam portarier vrna,
 Inter cognatas exanimata manus.
 Proh dolor, heu possem vel felicissima dici,
 Si liceat nato condere busta meo.
 Sed miserum rapuit nuper Cinyreia Cyprus,
 Pro culta sequitur dum pia bella Papho.
 Quid tibi cum Veneto, dulcissime nate, negoti?
 Quod tua pro patria dextra agitare, erat.
 Non borealis adest Moschus, populiq; fugandi,
 Quos vicina polo Menalis vrsa tegit?
 Sarmata Massagetis nonne est vexata sagittis,
 Et Scythica tellus clade cruenta rubet?
 Nonne tuae hanc decuit defendi robore dextrae?
 Nonne eadem poteras arma mouere domi?
 Et maior pietas, & te tutata fuisset
 Gens tua, communis causa tulisset opem.
 Et si fata mori iuuenem voluere, fuisses
 Sarmatica saltem contumulatus humo.
 Ignota nec tu fusus regione iaceres,

IO. IAC. BOISSARTI

Nec pelagi vastis piscibus esca fores.
 Sed nostris lacrymis patrio inferre sepulchro,
 Et mater solitas poneret inferias.
 Ah nimis ad gladios, nimis ad fera tela paratus,
 Debueras animis fræna dedisse tuis.
 Consiliumq; ausis aliquod superaddere, nec te
 Oranti Veneto reddere tam facilem.
 Sic igitur visum superis, sic fata tulerunt,
 Orba viro, & natis sola relinquer anus.
 Discerpamq; comas, longoq; madentia fletu
 Ora geram, & rara tempora canicie.
 O etas infauista nimis, proh dura senectus,
 O vita immensis excrucienda malis.
 Infelix volucres agitabor imago per auras,
 Umbra vel exuto corpore sola ferar:
 Dum liceat manibus lacerum contingere pectus,
 Et super ingesta condere corpus humo.
 Hæc ait, & densis se immiscuit illa tenebris,
 Imp'orans superos in sua vota Deos.
 Cùm subito excussus refugit sopor. heu mihi, dixi.
 Sancta Guisfidouij tu mihi visa parens,
 Non à me infelix solamen quære: fatigat
 Hic mea plus quàm te perditus ossa dolor.

De obitu eiusdem.

ELEGIA V.

Debuerat longum tempus minuisse dolorem,
 Debuerat noster finem habuisse labor.

Quid

Quid plorasse diu iuuu? mea lumina quondam
 Fluxerunt lacrymis irrequieta nouis.
 At nunc cum penitus siccato humore fatiscunt,
 Cur mihi continuo verberare cor titubat?
 Scilicet officium hoc casus deposcit amici,
 Hoc strenui poscunt fata Guiasdouii,
 Perpetuo questu cultum per secula nomen,
 Et solidam lacrymis testet amicitiam.
 Ergo age, si pietas, tanti si cura sodalis,
 Si iubet hoc domini carior umbra mei,
 Ingeminet pressum suspiria tristia pectus,
 Fœcundoq; oculus diluat umbre genas.
 Ingratum nobis iubar exoriat, & omnis
 Sordeat obscuro sidere mersa dies.
 Nec sapiant fatuus vnquam conuiuia mensis,
 Esca det inuisos semper amara cibos.
 Respuat assuetum stomachi mala nausea potum,
 Sint procul à positis plectra soluta lyris.
 Nec placeat quicquã, nisi quod ferat vltima secum
 Funera, mœsticia mors ferat exequias.
 Hæc tibi si placeant, ter felix umbra, placebunt
 Et mihi, vt his tumuler conditus inferiis.
 Sed neq; tu poscis fieri à me talia: quippe
 Summa colis superi templa beata poli,
 Nec lacrymas curas, fletus nec es indiga nostri.
 Sed meus hæc in te talia finxit amor.

In eundem.

E L E G I A V I.

HAs tibi Boissartus lugubria carmina moerens.

IO. IAC. BOISSARTI

Care anime, vt potuit, collocat inferias.
 Cui tua si propria licuisset morte morari
 Funera, vita tibi salua relicta foret.
 At cùm te superi cœlo meliore locarint,
 Terra nec vlteriùs sit repetenda tibi:
 Indulget lacrymis totas mœstissimas horas.
 Et sine te posthac viuere posse negat.
 Sed circum tumulos (quos is tibi ponit inanes)
 Aggrauat ardentis tædiâ per gemitus.
 Inflammâtq; suum per tristia verba dolorem,
 Accelerans mortis stamina grata suæ:
 Hei mihi, quòd lacrymæ vitam producere visæ,
 Creditur & callum conciliasse dolor.
 Nimirum hoc superi voluère, vt fortia dextra
 Fata tuæ versu liberiore canam.

In eundem.

ELEGIA VII.

PRæstiterat nunquam te cognouisse sodalem,
 Me miserum, ô fidum terq; quaterq; caput.
 Heu mihi, quòd tantis facta est coniunctio vinculis:
 Hei mihi, quòd solui nescit amicitia.
 Cessisti ad superos, sed me mœrente relicto:
 Heu heu quòd iunctam non licet ire viam.
 Nostram animam tecum rapuisti: detinet umbra
 Sola meos artus, nec licet vsq; mori.
 Quàm bene cognorat vitæ momenta futura,
 Quàm nostrum exacto carmine pinxit onus,

Qui

Qui iussit nulli nimum te redde sodalem:
Sic tibi erit luctus latitiæq; minus.

De eodem.

E L E G I A V I I I . 1

Nonne ego credideram dudum finisse querelas?
Atq; modum lacrymis imposuisse meis?
Cur me per totam turbant insomnia noctem?
Cur casi subeunt ora Guiasdouy?
Umbra quid hæc toties furuis immixta tenebris,
Offert ante meum membra cruenta torum?
Nonne satus luxi? non debita munera solui?
Nonne tuo cineri ferta suprema dedi?
O fidum pectus, liceat si plura, videres.
Boissartum pro te velle subire necem.
Sed quid deliro, falsaq; in imagine fingo?
Non tibi opus nostris amplius obsequiis.
Saluus es, & tutam ducis per secula vitam,
Quæ sit ad immitem non reditura colum.
Nec tibi cura mei: nec tu fulgentia cæli
Sidera preposita, fide, relinquis humo.
Ut tua me somno deterreat umbra grauatum,
Et spectris moueat pectora mœsta suis.
Sed fit id, agnosco, tua quod noctesq; diesq;
Et plus quam vellem, nomina mente geram.
Ante oculos laceri semper versatur amici
Incultis facies sanguinolenta comis.
Iam te per medium rutilo mucrone vagari,

IO. IAC. BOISSARTI

*Is mariumq; fera sternere cæde ducem.
Iam video Oebaliis Saracenicæ castra sagittis
In te vnum dira vertere tela manu.
Teq; per innumeros obsistere fortiter ictus,
Donec ab ex animo pectore sanguis eat.
Sic eadem crebrò densa sub nocte recurrunt,
Sic eadem menti somnia subiiciunt.*

In obitum Victorini Strigelij.

ELEGIA IX.

Ploret nunc Helicon, plorent Parnasides vnde,
Castalij plorent culmina mœsta iugi.
Muta relaxatis surdescant organa filis,
Nec vox, nec citharæ, pleetra nec vlla sonent.
Nec vireant lauri, nec frondes antra coronent,
Nec tegat impexas festa corolla comas.
Omni funestæ spargantur parte cupressi,
Tristitiâ pulla corpora veste notent.
Occubuit sacræ summum decus Hippocrenes,
Corruit Aonia prima columna domus.
Cuius doctrina floret Germana iuventus,
Ingenio cuius Teutonibus ora tumet.
Is Pandionias nobis reddebat Athenas:
Et cum Cecropiis Attica mella fauis.
Quicquid & Hesperia quondam florente solebat
Promere de cultis Roma superba libris.
Victorinus is est, stupuit quem Lipsica tellus,
Frænatusq; ferox Saxo adamavit equis.

Hunc

Hunc medio cursu vitæ Deus abstulit; aut quòd

Nos columen tantum non meruisse putet;

Aut quòd cultorem mortali sorte solutum

Cœlesti regno restituisse velit.

O decies felix tantis qui fluctibus orbis

Ereptus, cœli sidera summa colas.

Vivis, & aeternæ decerpis gaudia vitæ,

Reddunturq; tua munera digna fide.

At nos, quos opera quondam solerte iuuabas,

Deseris errantes, optime pastor, oues,

Quæ restant tristi solatia parta dolori?

(Conditio, certè, nostra dolenda venit)

Quos tumulos, quæ tura parabimus, aut tibi quæf-

Soluemus votis tristibus inferias?

(nam

Discessus reuocare tuos, manesq; profanis

Fas non est lacrymis sollicitare tuos.

Fata nec incusare, leui quæ stamina fuso

Sunt visa vrgentis præcipitare coli.

Hoc procul esto nefas: insanis gentibus illa

Non benè conueniens suaserat ausa dolor.

Sed quiddam pietas tamen indulgere videtur,

Solamen tanti quod queat esse mali.

Nempe pios fletus, vt qui releuare probentur

Viuentum quodam pectora fessa modo.

Propterea planctu, lacrimisq; frequentibus instas

Tota vrbs, ingenti perdita tristitia.

Nosq; parem mœsta sedamus voce dolorem,

Et positus luctum sistimus in tumultis.

Quos querna ornabit studiosa iuuenta corona;

Addet & in summo pauca legenda loco.

IO. IAC. BOISSARTE

*Hæc victorini corpus requiescit in vrna:
Diuinum tellus non capit ingenium.*

De eodem.

ELEGIA X.

Cum Victorinus vita cessisset, alumni
Imposuerunt pijs funera lecta rogis.
Fuderunt lacrymas Musæ, sparseq; capillos.
Ornarunt niueis muta sepulchra rosis.
Dant cassiam, nardum, florem spirantis amomi,
Et violam, & rutilo lilia iuncta croco.
Sueuia prima vocat defunctum mæsta nepotem:
Luget doctorem tristis Iena suum.
Vitteberga gemens sequitur, dein Lipsica tellus
Prodit & auulsa pectora veste ferit.
Circumflent, cineriq; pio pia tura ministrant,
Splendidaq; in multa sidera voce mouent.
Heydelbergensem damnant urbemq; solumq;
Quæ præceptoris fata tulere boni.
Sed medijs surgens pater exit Neccarus vndis,
Tristia qui tremula terferat ora manu.
Hos fletus cohibete, inquit: tenet optimus astra
Strigelius: superis annumerandus abest.
Hunc mundo eripuit (vitæ dum vincula soluit)
Et voluit cæli tecta habitare Deus.
Membra solo tumultata fouet sine crimine tellus:
Parte sui cælum sed meliore tenet.

E L E G I A X I.

Sæpe meam stimulis musam grauioribus vrsti,
Iunxi sæpe meas ad pia verba preces:
Votaq; suscepi, promissaq; munera solui
Supplex, & sacros cernuus ante focos:
Vt desueta suum reuocaret ad arma ministrum,
Abstergens longo pectora nostra situ.
Hei toties dixi misero mihi, mensibus hei sunt
Vix mihi bisseis carmina scripta decem.
Vix ego conscripsi quem possim promere versum,
Vix meminit calamos aut sua scripta manus.
Sum tamen & versor mediis Heliconis in antris:
Et montana mihi deuia cuncta patent.
Et vitreas miror crissantia flumina lymphas,
Quas liquidis senior Neccarus vrget aquis.
Nec quisquam (nisi quæ studiis libriq; iuuentus
Accubat) ad nostrum cernitur esse latus.
Sum miser hæc inter, stupidusq; & hebetior ipso
(Ab pudet effari) qui colit arua boue.
Dic Dea, quid prodest lauros versarier inter?
Quid iuuat in cyathis labra rigare tuis?
Et tua castra sequi, vel te duce miles haberi?
Deq; tuo frustra nomen habere choro?
Cum rigeant tanquam scabrose viscera cautes,
Per mea cum tardum pectora suber eat:
Cum durus crescat mea per præcordia caudex,
Cum sit ad officium nec mihi prompta manus:
Dic age, quid caussæ est? nec enim mihi reuera volun

I O. I A C. B O I S S A R T I

Nec quod & antè fuit deficit ingenium.
 Ingenium quodcumq; tamen quod sepe notavi
 Nequaquam doctis displicuisse viris.
 Deficiunt illum vires, obtunditur olim
 Illa acies nobis, & quod acumen erat.
 Tum Dea, Quid quereris? temerè culpamne Camæ-
 Adscribes? superos non ferit vlla Deos. (nis
 At quondam vobis fuerat quæ sancta voluntas,
 Quoq; priùs castè nos coluistis amor
 Occidit: immutati animi: simul occupat omnes
 Barbaries ritu conciliata nouo.
 Quicquid enim inter vos prisca restabat honoris
 Extinctum est. vobis nulla relicta fides.
 Nos pavidos fugimus vallantia mœnia ciues,
 Et chalybem, & rigidi dura lupata iugi.
 Nec quicquam nobis seuo cum Marte negoti,
 Bella abigunt nostrum quantulacumq; chorum:
 Qui tantum montes, & ruris amœna requirit,
 Obsita qui densis frondibus antra petit.
 Gramineas miramur opes, salienti q; altè
 Flumina, & intonsum sole calente nemus.
 At vos infestis hec cuncta lacestitis armis:
 Nostrum nulla foris, tuta nec vlla domi.
 Deferimur: nobis fuerat quæ sacra iuuentus,
 Quam nôster prima laude fouebat honos,
 Assumfit clypeos, pharetrisq; sonantibus in stat
 Voluere sanguinea bella cruenta manu.
 Gallia ciuili iam passim cede madescit,
 Et ruit in tetram penè soluta necem:
 Ceu furor oppositum cæcam protrudat in hostem,

Siue sub armata iugera pace colat.
 Occubnere p̄ r̄ates, ferroq; fameq;
 Aut flamma, aut longo diriguere gelu.
 Nil Phœbea iuuat præcingens tempora laurus,
 Nil frontem sulcis ruga senilis arans.
 Nullus honos nobis: sordent commercia vulgò
 Nostra: fera plebi fabula nota sumus.
 Vos quoq; qui sumtis procul abscessistis ab armis.
 Quorum nec belli terruit ora furor,
 Heretis stupidi: cladem vnusquisq; suorum
 Exspectat, patrie dira vel ausa sine.
 Hic, quam olim coluit, subuersam funditus urbem.
 Hic dolet amissas, quas tulit hostis, opes.
 Ille sui horrendos casus miseratur amici:
 Alter pro rapta coniuge vota facit.
 Gallicus infestas acies exercitus armat,
 Fulmineum Teuto bellicus agmen agit.
 Præda peregrinis est Gallia fessa, suisq;
 Sæpe etiam tutor plus feritatis habet.
 Sanctus pinguntur titulis hæc crimina: namq;
 Prætextum facti religionis habent.
 Tuq; malis quondam nimium perculsus eisdem,
 Dum seruas domini pignora cara tui:
 Crescentemq; alta dum fletu virtute Viennam,
 Et patris & patriæ mœnia quassa sua:
 Exhausti nimio fletu marcescitis vnâ,
 Dum lacrymæ vobis tempora pressa rigant.
 Dum clades animo, dum sæcula mæsta reuoluïs,
 Aetatisq; tuæ sidera sera vides:
 Torpescis, misero fletu te conficis: & nos

IO. IAC. BOISSARTI

Immeritas solito deseris officio.

Quam prestamus opē, neq; numina nostra requiris,

Solamenq; tui non mediocre mali.

Quid, precor, hæc profunt? tu fata mouere, deosq;

Desine per luctus sollicitare tuos.

Nec prematura canos accerse iuuenta,

Nec frontem ante diem pendula ruga notet.

Perfer, & hæc decreta Dei constanter obito:

Nec pigeat vitæ tædia longa pati.

Obruere ista solet stolidum impatiencia vulgus,

Cui nihil in toto pectore consiliū est.

Tu te crede Deo, soli q; infractus adhare,

Te solus tumidus fluctibus eripiet.

Seruabitq; domum, tibi si conduxerit istud,

Ne vereare, illo iudice tutus eris.

Te licet inuadat mota maris vnda procella,

Tu tamen inuita morte superstes eris.

Sume animos, nostri q; chori desueta reuise

Antra, erit hæc menti certa medela tua.

Excute solliciti mordaces pectoris æstus,

Et qui te cruciat nocte dieq; metum.

Secessus animum nostri saltusq; quietum

Reddent: rumpe moras, otia nostra pete.

Otia quæ studiis hominem florentibus ornant,

Otia quæ blando sola labore beant.

Ad chartas calamosq; redi: cape pleetra lyræq;

Nunquam sub nostro numine tristis eris.

Deniq; si quid erit, quod te lædætue grauætue,

Tolletur nostra protinus illud ope.

Hæc ait: interea vulsas à pectore curas

Exit,

Exiit, & longo discutit ossa metu.
 Restauratq; animum, studiuq; prioribus auget
 Ingenio & promptæ dexteritate manus.
 Inspiratq; recens, quod ego tibi dedico, carmen.
 Hæc xenij tibi sint munera prima noui.
 Sint licet hæc festus paulo minus apta calendis,
 Sunt tamen à studiis non aliena tuis.

Ioanni Crotosio Illustris Herois Vaiuodæ
 Vladislauiensis filio.

E L E G I A XII.

Instarent feste cum Iani, Iartè, Calende,
 Et tibi qua ferrem munera nulla forent:
 Consului Musas: blandæ risere Camæna:
 Cui Xenia hæc, dicunt, querere tanta paras?
 Est mihi, respondi, dominus clarissima proles
 Crotosii, Odrysijs quem tulit ora poli.
 Huic cuperem officio mentem testarier omni,
 Aut animi saltem linquere signa mei.
 Quid tibi cum tanto Heroe est, Boissarte, negoti?
 Et vis principibus mittere dona viri?
 Est ne tibi Tyria rubeat quæ sanguine conchæ
 Vestis? sunt grandes vel tibi sardoniches?
 Vel rigeant grauidis quæ fulua monilia baccis?
 Vel digitos sculpto qui premat orbe lapis?
 Massæue Callaici, quam dones, grandior auri?
 Vel pictus si quid lautius Indus habet?
 Ista decent magnos: fuge talia munera: Princeps

IO. IAC. BOISSARTI

Hoc faciat, sunt hæc Principe digna magis.
 Non ego, respondi, non sum qui munera fundam
 Tanta, feret charta dona epigramma breui.
 Esse aliquid nostras solitus qui ducere nugas,
 Obtulero si quæ grata futura scio.
 Desine plura loqui, nullam patiere repulsam:
 Est mihi mirari quod mala possit hyems.
 Cæperunt media rami frondescere bruma:
 Floribus & foliis sub niue vernat humus.
 Et iam maturos vidisset in arbore fructus,
 Tam citò ni ramis hæc foret orba suis.
 Hæc igitur nostræ transmitto dona Thaleia,
 Florea quæ gelidus dona december habet.
 Quæ simul officij capias cum munere nostri.
 Meq; mei erga te pignus amoris habe.

Ianus Crotosius Palatinides Vladislauicus
 sis suo Boissarto.

ELEGIA XIII.

Misisti his Iani duo splendida dona Calendis,
 O Boissarte animo semper amate meo.
 Scripta cothurnati vel pectore digna Maronis,
 Et virides miro germine frondis opes.
 Ut quæ Thæseo paucis nectare mentem,
 Lumina sic istæ nostræ vigore nouo.
 Quas igitur grates tibi nunc, Boissarte, rependam?
 Et quæ muneribus munera digna tuis?
 Ne tamen ingrati prorsus videamur & ipsi,

Acci-

Accipe quod mecum iure stupere potes.
 Cernis in hoc etenim squamosum marmore pisces.
 Quod natura sua sponte creauit opus.
 Nil hic artifices, vt quo laudentur, habebunt,
 Omnia nature sunt fabricata manu.
 Si potes, ergo tuas nostro cum marmore frondes
 Confer, vtrum mirum tu magis ipse putas?
 Quod superest: anno cursum renouante priorem.
 Boissarto cupio prospera cuncta meo.
 Lasicias mentisq; meæ, morumq; magister,
 Vnanimi mecum voce precatur idem.

Ioanni Tenantio Montalbano de Anchora,
 eius emblemate.

E L E G I A X I I I I.

Maxima terrarum moles cum fluctuet orbis,
 Nutet & à lapsis machina pensa polis:
 Insani saliente freto stent turbine fluctus,
 Nec teneant rabidos littora fracta sinus:
 Quæ dabitur tandem pereuntibus anchora rebus?
 Et deploratis quæ medicina malis?
 Quæ poterit longa formidine pectora cura,
 Nostraq; concepto soluere corda metu?
 Sunt qui in Teutonicis spem constituere lupatis,
 Alter in externi robore fudit equi.
 Diuitiis alter nimirum se credit auitis,
 Et generis iactat stemmata clara sui.
 Sed me non gladij, non tela parata, nec arcus,

IO. IAC. BOISSARTI

*Non armata manus, non fera pila iuuant.
 Non quæ sulphureū vomit ardēs machina plūbum,
 Non quæ Sarmatica est missa sagitta manu.
 Sola crucem passi mihi certa est anchora Christi:
 Hæc animæ spes est, portus & aura meæ.
 Anchora mundanos inter spectata tumultus,
 Anchora presenti certior illa die.
 Pendula nimbofo rumpantur carbasa vento,
 Transraq; diuulsæ conterat vnda ratis:
 Nubila fulmineis crepitent immixta procellis,
 Et vagus obscuris imber inundet aquis.
 Tot a reluctanti moueatur cardine tellus,
 Et fremat inferno sub Phlegetonte domus.
 Firma tamen motos scopuli instar nostra fragores
 Mens feret, & stabili supprime illa pede.
 Anchora dum manibus fulcimen præbeat istis,
 Hac ego, & in medio funere, viuus ero.
 Hac fultus referam victa de morte triumphum:
 Et ferar absumptis integer esse rogis.
 Hanc igitur prensate manus, huic pectore toto
 Herete: hæc certi est anchora præsidij.*

Mamerco Patissonio Aureliano.

ELEGIA XV.

Miraris quæ tanta mihi concordia facta est,
 Et quis me externo conciliauit amor.
 Cui neq; religio, fidei neq; mentio cordi est:
 Nec probat antiqui sacra Latina chori.

sed

Sed colit Argolico templorum altaria ritu,
 Multaq; de summo narret inepta Deo.
 Cum quo longa mihi si sint commercia, vel si
 Colloquium faciant mutua verba frequens:
 Inficiant tactam sensim contagia mentem,
 Subuertentq; animos insinuata pios.
 Non bene conueniunt radianti flumina flammæ,
 Mella, inquis, reddet fellis amara sapor.
 Nec mihi petrosis crescent violaria campis,
 Nulla erit in dura rupe metenda seges.
 Obiicis hoc, Mamerce: tuum laudoq; proboq;
 Consilium, at factum non ratione caret.
 Huic doctrina potens, & Græcæ fertilis vsus
 Est iuueni linguæ, quam iurat artis honos.
 Temperat & variis dulci modulamine voces,
 Et Latius nouit neclere verba modis.
 Sunt mores lepidi, quos nec perstringere liuor,
 Nec mala vesani carpere lingua queat.
 Numinis ex solo fieri discordia cultu,
 Atq; ex diuersa relligione potest.
 Vnde mihi non sunt metuenda pericula: possim
 Illi cum salua iunctior esse fide.
 Doris amara quidem, nulloq; optabilis haustu,
 Aequora cæruleo concutit alta mari.
 Dulcior Elais Alpheias Nympha sub vndis
 Hanc non gustato transfuit vna salo.
 Et sua Trinacria depromit flumina terra,
 Et fluit illæsis intemerata vadis.
 Nos quoq; diuersæ seiungant dogmata quamuis
 Legis, in hoc furî mens mihi salua potest.

IO. IAC. BOISSARTI

Hunc later optata quod si via recta salutis,
Caussa in diuino est abditata consilio.

Tempora sunt messi, sunt vitibus apta legendis:
Sunt cum de arboribus pomareuulsa cadant.

Nec semper ramis lauri spectantur eisdem
Crescere, nulla pari flore rosata rubent.

Tempus erit, quando qui nunc delubra profanus
Intrat, & à nostris discrepat vsq; sacris,

Hæc eadem amplexus sanos deducat in vsus,
Et pro contento numine bella gerat.

Tunc tibi nosster amor poterit sine labe probari,
Censuramq; feret nec mea culpa tuam.

IOAN.